

Lachmannus et Hermauus, falsa opinione ex corruptis Pollucis verbis concepta, quae emendavi in Opusc. vol. VII. p. 346. Quae in decima scena intus clamantis Helenae vox auditur, eam secundus actor edere videtur. Pyladae personam autem, qui in tertia decima scena Oresti adstans conspiciebatur, a primo actore susceptam esse credibile est: ita ut bis quidem eadem persona a diversis histrionibus repraesentata fuerit, sed aut intus clamans, aut muta adstans.

De ratione, qua in edenda hac tragoedia usus sum, quum eadem mihi dicenda essent, quae in praefatione Phoenissarum dixi, nolui illa repetere. Hoc unum addendum duxi, Victorianae scripturae me non fecisse mentionem, ubi ea cum Ven. 2. consentit, quod ille codex is est, quo usus est Victorius. Itaque ubi Victorium commemoravi, vel Matthiae putandus est aliquid aliud quam quod in Ven. 2. esset a Victorio excerptum invenisse, vel ego adnotatum habebam. In versibns numerandis peccatum est eo, quod qui tres versus sunt inter v. 965. et 970. pro quattuor versibus numerati sunt: quod moneo ne quis deesse unum in textu versum putet.

---